

D F N

1604



00  
1A  
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XVII,  
Ex capitibus XVIII, XIX,  
& XX. Geneseos, ad privatam

συζητησιν

proposita à

SALOMONE GESNERO, S.S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-  
fessore in Academia VVitebergensi,

De qua, DEO benè iuvante, ad 13. Decembris, anno  
Christi 1598. respondebit

M. DAVID MEZENERVS FRIBER-  
gensis Misnicus.



VVITEBERGAE,  
*Imprimebatur Typis Meisnerianis,*  
M. D. XCVIII.



SPECTATA NOBILITATE, INSIGNIQUE VIRTUTE  
Amplissimo & Magnifico Viro, Dn. HEIN-  
RICO ABRAHAMO ab EINSIEDEL,  
Domino in Phœnichsbergk, Illustrissimo  
principi ac Domino, Dn. FRIDERICO  
VVILHELMO, Duci ac Proelectori Sa-  
xonix, Dn. nostro clementissimo,  
à consilijs intimis:

Et

CLARISSIMO ATQUE EXCEL-  
lentissimo Theologo, Dn. D. POLYCARPO  
LYSERO, Illustrissima aula Dresdensis Anti-  
stiti fidiſſimo ſpectatiſſimo.

Dn. Meccœnatibus ac Patronis ſuis ſubmiſſè & reve-  
renter colendis, hanc Theologicam  
*συστήνω* offert & dedicat

M. David Mezenerus Fribergensis,  
Respondens.

De cap. XVIII. XIX. & XX.

Geneseos.

*Thesis prima.*

**D**E Fide Abrahami eiusq; exercitatione & probatione, nec non confirmatione per sacramentum circumcissionis hucusq; dictum est: nunc historia capite decimo octavo (ubi Hebraeis quarta libri sectio Vaiera nuncupata incipit) duos insignes fidei fructus commemorat, quorum alter in hospitalitate, alter in deprecatione pro Sodomitis cernitur.

*Perioche  
capitis 18,  
19, & 20.  
Gen:*

II.

Et quia Sodomitarum facta est mentio, ideo *παρολιθία* ipsorum, Lothi vero miranda conservatio capite decimo nono attexitur.

III.

Caput autem vigesimum narrat, quo pacto iterum in palæstra exilij apud regem Abimelechum fides Abrahami ac Saræ fuerit examinata.

IV.

De his itaq; in præsentè disputatione agemus, non singula perscrutando, ut in iusta commentatione fieri solet, sed præcipua *σημεία* attingendo.

V.

Principiò itaq; ad hospitalitatem Abrahami utiliter considerandam decem quæstionum explicatio videtur necessaria, ut nimirum videamus, 1. ubi, 2. qua occasione, 3. quando, 4. qui, 5. qua ratione, 6. invitati, 7. & quò apparatu, 8. tractati, 9. qua de re collocuti, 10. indeq; profecti fuerint.

*Questio prima de Querceto Mamre.*

VI.

Loci mentio fit non superstitionis, sed historix certitudinis ergò; & vocatur, Alonei, quod Chaldaica Paraphrasis Vallem, Græca interpretatio quercum Mamre reddit.

*Mamre.*

A 2

Certior

VII.

Certior Græcorum sententia, cum *קניז* arboris sit species, Esa. 6. ult. Os. 4. 12. licet interpretibus non satis cognita, dum alij alnum, alij quercum, nonnulli pinum, vel ilicem, aliqui castaneam, & haud ignobiles terebinthum existimant. Vnicum constat, duram esse, Am: 2. 9.

VIII.

Ac cum in plurali numero vocatur *קניזים* quercus seu alni, rectè infert Lutherus, Abrahamam in sylvula, sive quercu, sive alterius generis fuerit, tugurium habuisse.

IX.

Mamre autem viri nomen est, qui ob fœderis ac religionis cum Abrahamo necessitudinem, de qua capite 14. dictum, Patriarchæ istud hospitium concesserat.

X.

Erat iste locus prope urbem Hebronem, quæ ob vicinitatem non raro idem nomen sortitur: Gen. 23. 17. 19. & 25. 9. & 35. 27. & 49. 30. & 50. 13.

XI.

*Hebronis  
antiquitas  
ac nobilitas.*

Nobilis profectò, ut eo tempore nullus. Quandoquidem hic ipse Deus cum Abrahamo toties collocutus Gen: 13. 15. 17. 18. ac marmoreis, secundum Iosephum & Egesippum, monumentis Patriarcharum, Abrahami Gen: 25. Isaaci Gen: 35. Iacobi Gen: 50. & Saræ Gen: 23. condecoratus: vetustate deniq; , qua Memphin antiquissimam Ægypti urbem septennio præit, celebratus, Num: 13. 23.

XII.

*Terebinthus ab initio mundi superstes.*

Egesippus lib. 4. de excidio Urbis cap: 23. & Iosephus lib. 5. belli Iudaici cap. 7. affirmant, sexto ab urbe Hebrona stadio cerni arborem maximam Terebinthum, quæ ab initio mundi creati ad sua usq; tempora duravit.

XIII.

Num verò Patriarchæ ad istam adeò antiquam, Deiq; hospitio nobilem sive quercum, sive terebinthum peregrinationes, cuiusmodi Papistis in usu sunt, instituerunt? num eò proficiscentibus indulgentias peccatorum vendiderunt? Prorsus nihil.

Palæ-

XIV.

Palæstinos, Phœnices & Arabes tam Christianos, quam Iudæos & Ethnicos longo post tempore tale quid ausos esse, & variam isthuc superstitionem exercuisse: Eusebium verò Pam- <sup>Templora</sup> phili, & Macarium Hierosolymorum Episcopum mandato <sup>apud quer-</sup> Constantini idolatricum cultum abrogasse, templumq; vero <sup>cū Manre.</sup> Deo inibi extruxisse, auctor est Sozomenus lib. 2. cap. 3. Nicepho. lib. 8. cap. 30.

*Questio secunda de occasione ac tempore.*

XV.

Hæc de loco, iam de occasione ac tempore: Moyfes ait, Abrahamum circa meridiem, quando ferventissimus est æstus, in ianua sui tabernaculi sedisse, & in omnes partes diligenter circumspexisse.

XVI.

Meridies, æstus, & circumspectio arguunt, Patriarcham τῆς φιλοξενίας adeò fuisse studiosum ac cupidum, ut omnes occasiones venaretur benè de peregrinantibus merendi. Ambros. lib. 1. de Abrahamo cap. 5. & Lyranus.

XVII.

Non immeritò igitur pro exemplo hospitalitatis nobis <sup>Hospitali-</sup> commendatur Ebræ. 13. Quia enim sagenam hospitalitatis ex- <sup>tas Abrahæ.</sup> panderat, meruit etiam universitatis Dominum cum Angelis suis suscipere, ut ait Chrysofost: hom: 41.

XVIII.

Et Theophylactus Luc: 16. eleganter dicit, epulonem cum in inferno esset, conspexisse Lazarum in sinu Abrahæ, τῆς φιλοξενίας, ut esset ἔλεγχος τῆς μισοξενίας αὐτοῦ.

XIX.

Neq; tamen hinc Pontificiorum opinio de operibus super erogationis stabiliri potest. Abrahamus enim non iustitiam apud DEUM, (in cuius gratia per fidem erat Gen: 15.) promereri, sed necessitati illorum temporum & locorum, ubi rara erant hospitia, succurrere voluit.

*Questio tertia de hospitibus Abrahæ.*

A 3

Qui

XX.

Qui fuerint porrò tres isti hospites, neq; Ecclesiastici in-  
terpretes cum Hebræis, neq; ipsi inter se consentiunt.

XXI.

Rabini divi-  
munt totam  
historiam  
in duas.

Nam Hebræi, Lyra teste, duas hic comminiscuntur φασ  
veq̄ōσαε, & illa verba, quæ caput hoc inchoant, (& apparuit  
illi Iehova) de θεοφανεϊα, reliqua de ἀγγελοφια interpretantur.

XXII.

Quòd aliam ob causam inventum ab illis non est, quàm  
ut Christianorum argumenta, quæ illi pro astruenda sancta  
Trinitate, Christiq; divinitate, hinc depromserunt, aliquo fu-  
co eluderent.

XXIII.

Non autem duas, sed unam describi θεαφανεϊαν, duabus  
rationibus constat, quarum una est, quòd is, qui Abrahamo  
filium ex Sara promittit, & excidium Sodomæ annunciat, eo  
ipso sacratissimo Nomine Iehovæ infra, quo etiam ab initio  
capitis, nuncupatur.

XXIV.

Altera vero, quòd inanis alioquin esset ista propositio,  
qua Moyles dicit, DEUM Abrahæ apparuisse, nisi quo pacto,  
& quam ob causam factum id esset declararet.

XXV.

Certum igitur est Moylis testimonio, unum ex istis tri-  
bus fuisse Iehovam, nequaquam Gabrielem Archangelum, ut  
Burgensi placet, nec Michaellem, ut Rabinis.

XXVI.

Duo Angeli  
quos secun-  
dum Rabi-  
nos.

Sed qui duo reliqui? Rabini somniant, unum illorum  
fuisse σωτήριον, missum, ut die tertia à circumcissione, quo dolo-  
res, utpote κρισίμω, sunt acutissimi Gen: 24. Abrahamum sa-  
naret, Lothumq; liberaret; alterum τιμωρόν, ut deleret Sodo-  
mæ, illum quidem Raphaëlem, istum autem Gabrielem. Fa-  
bulæ.

XXVII.

Augustinus myste-  
rii S. Trini-  
tatis adum-  
brationem sta-  
tuerunt.

Augustinus sermone 20. de Tempore, & lib. 16. Civitat.  
DEI, cap. 29. nec non 2. Trinit. cap. 11. in ea est sententia, tres  
fuisse Angelos, idq; testimonio Geneseos, & Epistolæ Ebr. 12;  
sed per eos tres personas sacrosanctæ Trinitatis significatas  
fuisse. Eademq;



XXVIII.

Eademq; est Cyrilli lib. 1. contra Iulianum; Gregorij Nysseni de Trinit. & aliorum sententia; unde Ecclesia Latina canit, Abraham tres vidit, & unum adoravit. Sed ea idcirco consistere non potest, quod unus ex illis tribus disertè Iehova nuncupatur, quæ appellatio Angelis non convenit.

XXIX.

Rectius proinde Hilarius lib. 4. de Trinitate; & Theodoretus quæstione 68; Nazianzenus oratione 2. de Theologia; Tertullianus lib. de Trinitate; Constantinus apud Eusebium, lib. 3. vitæ suæ, cap. 50, 51; & ipse Eusebius libro 5. demonstrat; Evang. cap. 9; Epiphanius in Ancorato, & alij statuunt, filium DEI fuisse illum Iehovam, duosq; comites ac pedisequos habuisse Angelos.

XXX.

Et probè Burgensis ex eo, quod Angelus vocatur, quodq; nuncius ac interpres est divinæ promissionis, colligit, neq; Patrem, neq; Spiritum sanctum, sed mediam personam & ἄγγελον atq; oratorem sanctæ Trinitatis apparuisse.

XXXI.

Quin apud Ethnicos usq; ad Constantini tempora constans rumor mansit, Abrahamo hic DEUM ipsam, non nudos Angelos apparuisse, & testatur Eusebius, eoq; ipso argumento contra Philosophos militat ostendens, famam de filio DEI ac Messia non prorsus ignotam illis fuisse, lib. 5, Temp. 9.

XXXII.

Et Philo, licet Christum non agnoverit, in libro de Abrahamo, tertius, inquit, quantum equidem intelligo, erat ille, qui verè est.

*Questio quarta, qua ratione filius DEI & Angeli apparuerint.*

XXXIII.

Cum Angelos & Christum Abraham non modò videat, sed pedes quoq; illorum lavet, necesse est, ut corpus ad tempus induerint, neque inania φαντάσματα ac spectra fuerint, Luc. 24. An illa

XXXIV.

An illa ex nihilo condita, an è materia, siue cœlesti, siue elementari, formata, de eo nihil constat, quia scriptura non exhibet, ut rectissimè sentit Tertullianus libro de carne Christi: Et Augustinus libro de Trinitate, 3. cap. 1. hanc quæstionem vires intentionis suæ excedere sponte fatetur.

XXXV.

Licet Beda libro de Natura cap. 7. statuatur, virtutes Angelicas ad nos exeuntes ætherea sibi corpora aptare, eademq; ibi reversas deponere.

XXXVI.

Quòd unio Angelicæ Naturæ cum corporibus non sit hypostatica, sed κατ' οἰκονομίαν, siue formalis, ut Luthero placet, siue ὀργανικῆ; ex eo liquet, quòd ea mox iterum deponunt, cum λόγῳ id, quod semel assumfit, nunquam deserat, nec anima hominis naturaliter absq; corpore suo esse possit.

*Questio quinta, quo pacto Abraham hospites exceperit, & tractarit.*

XXXVII.

Sequitur illud historię membrum, quomodo cœlites ab Abrahamo excepti & tractati fuerint. Conspicatus illos (inquit Moyfes,) properè accurrit ab ostio tabernaculi sui, & adoravit in terram.

XXXVIII.

De religiosa adoratione id exponit Augustinus, sed rectius Chrysostronus, gestibus, inquit, & verbis magnum fervorem, egregiam animi humilitatem, summam hospitalitatem declarabat: nondum enim cognoverat, unum ex illis esse Iehovam, hom: 41.

XXXIX.

Quod autem unum alloquitur, inquiens, Domine si inveni gratiam in oculis tuis, &c. Id secundum Chrysostronum factum est, quòd unus procul dubio ὑψιμώτερος gloriosior ac illustrior cæteris apparuit.

De ap-

XL.

De apparatu & reliquis, quæ hic commemorantur, non opus dissertatione: de tribus satis farinæ illud monendum,

XLI.

Quod tria sata Græci nimis generaliter τρία μέτρα verterint; Latini propius ad Hebræam sententiam accesserint. In Hebræo enim est מִנֶּסֶךְ, quod in singulari utroque modo pronuntiatur, & מִנֶּסֶךְ & מִנֶּסֶךְ, unde duale מִנֶּסֶךְ id est, duo sata 1. Reg. 18. 32. Cumq; Hebræis Sath sit fœmininum, Græcis genere neutro satum pronuntiatur, teste Epiphanio,

XLII.

Qui definit, quod satum sit μόδιος ὑπεργέμων, modius refertus; quod de Italico modio integro cum dimidio accipiendum esse, Iosephus lib. 9. Antiquit. cap. 2. scribit. Plura videantur apud Agricolum lib. 1. de mensuris fol. 147. & Benedictum Ariam in Thubalcain.

XLIII.

Quo pacto convivæ ederint ac biberint, multi operosè inquirunt. Iosephus & alij existimant, visos fuisse edere; sed cum vera corpora gestarint, vereq; ingressi ac locuti sint, rectius Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 22. statuit, verè quidem illos comedisse, sed non ad indigentiam, verùm ad consuetudinem ac familiaritatem contrahendam cum hominibus.

XLIV.

Beda in Lucam pulchra similitudine id declarat: aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius calens: illa indigentia, hic potentia,

*Quæstio sexta, de convivali colloquio.*

XLV.

Cibos condiunt colloquio cœlestibus dignissimo, hospiti, eiusq; uxori gratissimo; & ipse quidem Iehova ait: Revertens veniam ad te tempore isto, vitâ durante, & habebit filium Sara uxor tua.

XLVI.

Quod iste, qui Saræ sobolem promittit, D E U S esset, ex  
B eo iam

eo iam perspicuè potuit Abraham cognoscere, ut colligit Chry-  
sostomus, quia nomen Saræ nuper immutatum novit; quia  
futura prænunciat; quia prolem pollicetur contra naturæ ordi-  
nem; quia tacitum Saræ risum animadvertit.

XLVII.

Sed ea verba, cum ait: secundum tempus vitæ, seu, vitæ  
durante, vitæ comite, Hebræus textus, neq; ad DEUM loquen-  
tem, neq; ad Abrahamum & Saram, quos alloquebatur, refert;  
Tarchum autem ad Abrahamum & Saram restringit, & sic ex-  
ponit, revertar ad te in tempore isto, quo vos eritis vivi, &c.  
ut & soboles & vita parentibus promittatur.

XLVIII.

Plurimiq; alij ipsi Domino tribuunt κατ' ἀνθρώπων παράδειον  
quasi diceret, si ego vixerò, idq; nostræ informationis causa  
Iacobi 4.

XLIX.

Riserat pater, quando Isaacus ei promissus est, admi-  
rans in gaudio. Iam ridet mater, quando iterum promittitur,  
dubitans in gaudio, ut Augustinus ait lib. 16. de Civit. DEI  
cap. 31. ridet illa postea quoque, nato filio, gestiens in gaudio,  
Heb. 11.

L.

Vnde perspicuum est, risum Abrahami cap. 17. & Saræ  
cap. 22. culpa carere, ideoq; à DEO non vituperari. Præsentem  
autem risum meritò reprehendi. Diversos istos affectus diju-  
dicare potuit, qui corda introspicit.

LI.

Æternâ memoriâ digna est Salvatoris Iehovæ sententiâ  
omni dubitationi opponenda, quod ait: DEO nihil esse impos-  
sibile, Luc: 1. Rom. 4.

*Questio postrema, de Dialogo Dei cū Abrahamo.*

LII.

Hospites discedere volentes Abraham non detinet, sed co-  
miter deducit. Reliquis autem duobus Sodomam tendentibus,  
Dominus seipsum, divinæq; maiestatis decretum de Sodomæ-  
orum excidio Patriarchæ aperit, & causam quidem horren-  
di istius supplicij clamorem peccatorum allegat.

Clamans

LIII.

Clamant autem peccata dupliciter, partim quòd sceleratè sese iactitant, Esaia 3, 9, Psal: 52, cumq; flagitia ad àmpliùs pervenerunt, divinam ultionem arcanis conscientiaè stimulis exigunt, Sapient: 17. Versu 3. 11. 12. 13.

LIV.

Partim, quòd Lothus aliq; in vicinia pñ iniurias à Sodomitis sibi factas Deo conquesti sunt, Ezech: 16. 2. Petri. cap. 2. v. 8. nec sancti Angeli tacuerunt, Matth. 18. v. 30. & 31.

LV.

Postremò sententia executionis in sacrosancto Trinitatis senatu sic habet: Si non est ita, ut sciam. Verè & doctè verit hoc verbum Targumica paraphrasis: conficiam eos, si non egerint poenitentiam: si autem egerint, non ulciscar.

LVI.

Nam ex perpetuo scripturaè consensu constat, DEUM non fatali & absoluto, sed sub conditione poenitentiaè limitato decreto poenis sceleratos adiudicare, Ezech. 18. Os: 11. v. 9. Zach: 8, 14. Ieremiaè 18, 7.

LVII.

Abraham audito Sodomæorum periculo, apud Dominum pro illis intercedit, ac tametsi non fit expressa Lothi mentio, pro eo tamen Abrahamum imprimis rogasse ex eo liquet quòd cap. 19. scriptum est, Deum Abrahami recordatum esse, ideoq; Lothum eduxisse, v. 29.

LVIII.

Quòd Abraham in denario subsistit, non ideo factum est, quasi hunc numerum fatalem esse, infraq; illum intercessores Dominum non admittere statueret, cum sciret illum ob unius Noæ pietatem toti mundo ante diluvium CXX. annis pepercisse: Ier: 5. 1. Sed quòd è responso Dei intellexit, planè desperatum esse Sodomitarum impietatem. Pro eiusmodi autem præfractis hominibus & Ecclesiaè hostibus amplius orandum non est, 1. Ioh. 5. 16. Ebre. 6. 1. Sam. 16. 1. Ier. 7. 11.

LIX.

Ac tametsi Deus Ninivitis pepercit, quòd in magna  
B 2 illa

illa vrbe plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciebant inter dextram & sinistram discernere, inventa sunt, Ion. 4. Sodomitis tamen eam ob causam propitius esse non potuit, cum adulti poenitentiam nullam agerent, sicut Ninivitæ fecerant.

LX.

Nec iniuria fit infantibus, cum originali peccato sint contaminati, Deoq; futurorum præscio iamdudum constet, illos parentibus nequaquam fore meliores. Esa. 13. 17. 18. 19. Exod. 20. 5.

LXI.

Nec obstat, quod Salvator Matth. 11. affirmat, Sodomitas stupendis miraculis, qualia apud Capernaitas sunt edita, ad poenitentiam commoveri potuisse. Hinc enim non licet inferre, quòd Deus absoluto aliquo odio eos abiecerit, & resipiscendi facultatem largiri illis noluerit.

LXII.

Nam splendor ille miraculorum singulare erat beneficium temporibus Messiaæ reservatum. Sodomitis autem non deerant alia media, quibus illos Deus ad poenitentiam serio cohortatus est: conciones nimirum Lothi, Abrahami, Melchisedeci, & clades illa nuper accepta Gen: 14.

LXIII.

Ex eo autem, quod Christus ait, Sodomitas potuisse converti, absoluta necessitas prædestinationis, & reprobationis, quam Calviniani fingunt, è fundamento evertitur.

## CAPVT XIX.

### *Questio prima, de exceptis à Lotho duobus Angelis.*

LXIV.

In historia everse Sodomæ & vicinarum Urbium primò occurrunt duo Angeli, qui divinæ sententiæ executores fuerunt; quorum alterum fuisse σωτήριον, alterum κολασήριον Philo censet, Moyses commune officium utriq; tribuit.

LXV.

Hi duo sub vesperam Lotho in porta, nequaquam pro  
tribu-

tribunali sedenti, ut Rabinis placet, nec pecora sua, ut Calvino, sed hospites, quibus beneficeret, more Abrahami, præstolanti, sese offerunt.

LXVI.

Non mendacii, non doli, non mutabilitatis accusari possunt, quod præ se ferunt, velle se in platea sub dio noctem agere. Quandoquidem hac δοκιμασία Lothi pietatem, hospitalitatem & humanitatem in lucem protrahunt: ut & Salvator, Luc: 24.

LXVII.

Quod Lothus azymum panem hospitibus apponit, non legis impulsu, sed liberalitatis & decoris causa fecit. Ridiculum proinde, quod Rabini hinc colligunt, tempore paschali hæc accidisse. Nisi quis in liberatione Lothi typum aliquem exitus Israelitarum ex Ægypto iam tum ostensum fuisse colligat.

*Quæstio secunda, de facinore Sodomeorum Angelis intentato eiusq; pœna.*

LXVIII.

Secundo loco commemoratur immane facinus, quod Sodoma nocte intempesta attentarunt, ubi reliqua quidem plana, tria verò in quæstionem vocantur.

LXIX.

Primò enim Lyratus vel Synecdochen vel Hyperbolen existimat, quod Moyses ait, omnem populum Sodomiticum in ædes Lothi irruisse.

LXX.

Sed cum distributione genus in species partiatur & disertè affirmet, viros Sodomiticos à puero usq; ad senem, quasi conuocato exercitu domum Lothi obsedisse, nulla hic est synecdoche vel hyperbole.

LXXI.

Quin potius promiscua senum, iuvenum, puerorum, magistratus & subditorum colluvies re ipsa comprobat, neminem hic esse nefarijs sceleribus non addictissimum. Atq; hoc velut examine compertum est, non modò non decem, ut Abraham speraverat, sed ne vnum quidem innoxium restare.

B 3

Postea

## LXXII.

Postea quaeritur, quid de Lothi instituto sentiendum sit, qui Sodomitis ad praeposteram libidinem Angelos poscentibus filias offert. Et Scholastici quidem omni illud culpa liberare conantur, quod nimirum scelus  $\omega\rho\alpha\gamma\acute{\alpha}$  τὴν φύσιν, flagitio  $\kappa\alpha\iota$  τὸν φύσιν avertere voluerit.

## LXXIII.

Sed cum non sint facienda mala, ut eveniant bona Rom. 3. & in sextum praepceptum non modo delinquat, qui impura libidine suum corpus polluit, sed etiam, qui adminicula subministrat Rom. 1. Idcirco Lothum hac in parte lapsum esse, non equidem malitia, sed consilij inopia, constat, beluino maxime libidinosorum nebulonum furore perculsum. Esa. 64.

## LXXIV.

Postremo caecitas, qua Sodomitae  $\nu\upsilon\kappa\tau\iota\mu\acute{o}\rho\alpha\kappa\epsilon\varsigma$  in aediam oppugnatione puniuntur, non ita se habet, quod oculis videntique sensu plane spoliati sint, sed, ut ipse Moyses describit, quod ianuam velut temulentij reperire nequiverunt. Scholastici  $\acute{\alpha}\kappa\rho\iota\sigma\iota\alpha\upsilon$  significanter nominant. Simile quid Syris accidit, 2. Reg. 6. Haec poena induratae nequitiae Ose. 4. u. Deut. 28. 28. Chrysof: homil. 43. Augustin. 22. Civitat. Dei cap. 19. Procop.

*Questio tertia, de Lothi liberatione, uxoris metamorphosi, Sodomorum conflagratione.*

## LXXV.

Quinque  $\zeta\eta\tau\eta\mu\alpha\tau\alpha$  in hac parte discutienda sunt. Nam principio, quod Dominus vers. 22. ad Lothum ait, non potero facere quicquam, donec pervenias illuc, non imbecillitatem sed partim ineffabilem misericordiam, & iustitiam Dei paterna benignitate temperatam denotat, qua divina Maiestas sibi ipsi quodammodo legem ponit & necessitatem adfert, partim efficaciam precum & fidei, a spiritu sancto impressam. Gen: 32. 28. Exo: 32. 19. Os: 12. 4. Ios: 10. 12. Iac: 5. 16. Rom: 8. 26. Psal: 106. 23. Augustin: lib. 2. contra Gaudent. cap. 22.

Secundo



LXXVI.

Secundò cum Moyſes verſ. 24. dicit : pluit Iehova ſuper Sodom & ſuper Gomorrha ſulphur & ignem à Iehova de cœlo, rectè concilium Syrmienſe, & refert Socrates lib. 2. cap. 30, nec non Hilarius lib. 4. de Trinit. Cyrillus, item Iuſtinus, Ignatius in Epift. ad Antiochenos, & alij, inde ratiocinati ſunt, unã eſſe divinitatis eſſentiam, tres autem diſtinctas perſonas, & hic DEUM filium, qui Abrahamo dixerat, ſe ipſum Sodomam profecturum, à Deo patre pluiffe.

LXXVII.

Calvinus autem Rabinizat, emphaticam fingens repetitionem, & patrum interpretationem minus firmam exiſtimans.

LXXVIII.

Tertiò de ſtatua ſalis, in quam vxor Lothi converſa eſt v. 26. tria ſciri debent. Primo quidem cauſa minimè fuit, quam Rabini ridiculè commiſcuntur, quòd hoſpitibus Angelis ſalem denegaverit, ſed quam Moyſes & Chriſtus indicant, ille quidem inobædientiam cum diffidentia coniunctam, quæ grande peccatum eſt, 1. Sam: 15, hic temporalium præpoſteram curam. Luc. 17.

LXXIX.

Deinde quòd mutatio hæc fuerit *ὁμοίωσις*, qua corpus, anima prius ſeparata, in ſaxum tranſijt, dubium non eſt. Non magis autè inde Flacciani naturæ eſſentiæq; hominis in ipſum peccatum tranſubſtantiationem, quam pontificij ſuam tranſelementationem panis in corpus Chriſti probare poſſunt.

LXXX.

Vtrum deniq; hæc mulier ſalvata ſit, dubium eſt, cum Sapient 10. 17. anima infidelis nominetur : divino tamen iudicio merito relinquitur, & nobis condimenti loco propoſita eſſe ſtatuitur. Augu. lib. 10. Ci. D. cap. 8. & lib. 16. cap. 30. quam Iosephus ſe viſiſſe lib. 1. antiquit. cap. 12. ſcribit.

*Utrum in hoc Loti  
salvata sit?*

LXXXI.

Quartum *ἕκτα* eſt de numero ſubverſarum urbium. Sapiens autem capite 10. quinque urbium diſertè meminit, & hic quidem Sodoma & Gomorrha, Of: 11. Adama & Zeboim nominantur: Quintam autem eſſe Zoarem, ex eo concludit Procopius, quod Lothus in illa hoſpitiū non invenit, ſed.



sed in Spelunca se cum filiabus continere coactus fuit, quòdque filia non dictura fuissent, omnes homines interiisse, nisi de istius etiam oppidi conflagratione ipsis constitisset: terræ autem hiatu absorptum esse commemorat, & Hieronymus terræ motibus sæpè concussam fuisse affirmat.

LXXII.

Tempus itaq; pœnitentiæ ad intercessionem Lothi Zoarenfibus indultum fuit, cum autem nihilo fierent meliores, vicinorum calamitati ipsi quoque merito sunt implicati.

LXXIII.

Postremò deniq; quod ad monumenta istius tam horrendæ tempestatis attinet, quæ ad omnem hominum memoriam ibi extant, non modò sacra historia illorum meminit, Deut; 29. 23. Esa. 1. 9. Ier. 23. 14. 50. 40. Sap. 10. 6. Sed etiam Ecclesiastici scriptores, Tertullianus in Apolog. fol. 880. Augustin; lib. 21. Civit: D. cap. 8. Iustinus, Iosephus; sed etiam prophani, Strabo lib. 16. pag. 518. 519. Cornelius Tacitus lib. 21. Solinus cap. 38. &c.

*Questio quarta, de incestu Lothi cum filiabus.*

LXXIIII.

Postremum capitis huius membrum triste lapsus exemplum in patre & filiabus proponit, & sciamus, patres non tantum salutari doctrina, sed etiam infirmitate sua nos instruere, secundum Ambros. de Abrah.

LXXV.

Utraq; pars in sextum & quartum decalogi præceptum gravissimè delinquit, sed patrem quidem mœror animi, senilis stupiditas, lassitudo corporis, solitudo, somnus, filias vero falsa opinio de totius generis humani interitu, sobolis amor, muliebris imbecillitas excusant à tanto, sed non à toto, ut Scholastici loquuntur.

CAPUT

## CAPVT XX.

### LXXXVI.

In hoc capite primò occurrit regis Abimelechi factum, quo nimirum animo sibi Saram adduci voluerit; cum autem corà Domino καὶ ἐπιτοῦνόςη contestetur, se animo simplici id fecisse, eamq; excusationem Dominus admittat, & scire se affirmet, quod Abimelechus animo sit puro, manifestum est, quòd illam non ad scortationem, sed ad legitimum coniugium accersiverit, religionis procul dubio & pietatis fama motus, ut censet Procopius.

### LXXXVII.

Deinde quòd Abraham denuò dissimulat, Saram esse suam vxorem, de eo idem sentiendum est, quod supra cap. 12; sicut etiam ibidem causæ sunt indicatæ, cur Reges illi tam diu à mulieribus abstinuerint, ut Saræ castitas illi bata & promissio illaesa manere potuerit.

### LXXXVIII.

Ex eo, quòd Deus regi, qui ex ignorantia alienam vxorem ad se vocaverat, mortem minatur, colligimus, peccata esse, quæcunq; divinæ legi repugnant, sive à scientibus sive ab inscijs committantur, Psal: 19. Rom. 7.

### LXXXIX.

Porro cum Deus ait Abimelecho, custodivi te, ne peccares in me, inde constat, quòd, qui iustos offendit, ipsum Deum lædat Matth. 25, & quod à peccatis non nostra sed divina ope immunes conservemur 2. Cor. 3.

### XC.

Quòd Abraham dicit, se apud animum cogitasse, fortè non est timor Dei in loco isto, benè colligit inde Procopius, Abimelechum cum suis nō adhæsisse idololatriæ, famamq; oppidorum coelesti igne devastatorum adhuc omnium auribus & animis hæsisse.

C

Quo-

CXI.

Quo pacto Sara vocetur Soror Abrahami, variè interpretantur autores. Lyrani sententia est, Saram esse filiam Harami, Sororem Lothi, alio nomine Iescam supra cap. 11. nuncupatam, cumq; neptes etiam dicantur filia, Saram eodem pacto filiam Tharæ, patris Abrahami. & Sororem eiusdem simili phrasi, qua Lothus cap. 13. frater eius vocatur, appellari.

CXII.

D. Lutheri expositio facilior est, quòd Sara fuerit prìvigna Harami, post obitum patris, de quo supra cap. 11, in domum & familiam Tharæ avi ascita, proq; filia habita. Hoc enim pacto omnis disputatio de prohibito consanguinitatis gradu præciditur.

CXIII.

Ista deniq; verba Abimelechi ad Saram, Ecce dedi fratri tuo mille argenteos, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & alios omnes, & reprehensa est, tres scrupulos habent.

CXIV.

Vnus est de argenteorum valore: Septuaginta de didrachmis exponunt, & nummum didrachmum fuisse dimidium siclum è collatione capitis 30. Ex. & Matth. 17. liquet. Thargum vero mille siclos argenteos habet.

XCIV.

Alter est de oculorum Velo. Sic nuncupat rex pecuniam Abrahamo datam. Esi autem Abimelech minimè id sentit, quod Sara oculorum operimento pudicitia læsæ respectu indigeat, cum eius illibata modo ipsum Dominum invocaverit testem, quæ etiam causa est, quòd ne obulum quidem Saræ, omnia verò Abrahamo tradit.

XCVI.

Attamen hos mille nummos vult *μικροσμων* esse mendacij

daci & fallaciae, qua in periculum adductus fuerat, itemq; testimonium innocentiae, quod Sara obrectatoribus opponeret.


XCVII.

Postremo etsi verbum **וְנִכְחַת** Hieronymus reddidit, & memento, te depræhensam esse: & septuaginta, & omnia verè loquere, ipsum tamen hac forma propriè vituperatam & amicè obiurgatam denotat, quod etiam ex omnibus circumstantiis patet.

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237




sb.

Wort









19

TIO BIBLICA XVII,  
bus XVIII, XIX,

eneleos, ad privatam  
συζητησιν

proposita à  
NE GESNERO, S.S.  
E DOCTORE ET PRO-  
cademia VVitebergensi,

enè iuvante, ad 13. Decembris, anno  
risti 1598. respondebit

MEZENERVS FRIBER-  
nsis Misnicus.



TEBERGAE,  
tur Typis Meissnerianis,  
A. D. XCVIII.

